

à sententia criminali non appellatur, inde etiam spatium istud decem dierum, quo vis sententiæ aliàs in suspenso est, frustra expectatur. Julius Clarus, *l. 5. §. ultimi question. 94. num. 1. pag. 881.* Appellatio in criminalibus non tantum in quinque criminibus exceptis, homicidii, veneficii, adulterii, maleficii & vis publicæ, non valet, sed etiam in reliquis delictis non admittitur. Et *question. 96. num. 1. §. 2. fol. 894.* ait: Sententiæ capitales immediatè mittuntur executioni, non expectatis dictis decem diebus. Guido Papæ *Decis. 74.* Et ibi Ranchinus & Ferrerius *fol. 82. §. 83.* Præterea ne quidem executio sententiæ est differenda, etiamsi condemnatus dicat, se aliquid revelaturum, quod ad Principis vel civitatis salutem pertineat, cum multi eludendæ pœnæ causâ illud faciant. *L. 6. ff. de Pœn. Zieriz. ad h. art. pag. 101. Heigius l. 2. q. 32. num. 47. 48. 49. §. seqq. p. 278.* Quando verò condemnatus ante executionem moriatur, vel sibi manus inferat violentas, tum, quia delicta extinguuntur morte, *l. 6. ff. de publ. Judic.* non debet in mortuorum corpora sæviri. Menoch. *l. 2. Cent. 3. cas. 285. fol. 540. de A. J. Q.* quamvis de facto contrarium observari, scribat Julius Clarus *l. 5. §. fin. q. 51. n. 16. fol. 679.* Gilhaufen *ad h. art. p. 28.*

ARTIC. XCVII.

Ne vis fiat carnifici.

Des Nachrichters Fried auszuruffen.

S Der Richter nach der Endurtheil seinen Stab gebrochen hat / desgleichen auch / so der Nachrichter den Armen auff die Richtstatt bringet / soll der Richter öffentlich ausruffen / oder verkündigen lassen / und von der Oberkeit wegen bey Leib und Gut gebieten / dem Nachrichter keine Verhinderung zu thun / ob auch ihm mißlinge / nicht Hand anzulegen.

AD ARTIC. XCVII.

ARGUMENTUM.

In hoc articulo constituitur, ne vis fiat Carnifici, dum is ad iudicis mandatum executionem peragit, & casu aliquo minus feliciter suo officio defungitur.

S s

EXEGE-